

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](#)

Tractatus I.

RATIO Prioris est. Quia jus illud in servum, quā servum, non supponit aliquid proprium servi, sed proprium Domini, consequenter erit illuc quasi alteritas, cum non detur ab utraque parte proprium.

RATIO Secundi est. Quia servus alio titulo, potest habere aliquid proprium.

ASSERO 4. *Accipiendo maritum, & conjugem, quā tales, non intercedit inter illos, rigorosa justitia, secus in quantum naturis distinguuntur, &c.*

RATIO proportionatē formanda: quia nullius erga seipsum, est justitia. Ergo, quasi erga seipsum non potest esse justitia, sed quasi justitia. Jam autem obmutuam traditionem corporum, uxor est aliquid mariti, maritus uxor. Aliis tamen supra dictis titulis potest illuc fundari justitia.

ASSERO 5. *Inter istas personas, de quibus immediatae actum, non intercedit jus aliquod, quod debet dici imperfectum, sed tamen proprium.* Ut intelligatur Assertum. Aliud est dicere, intercedit illuc imperfecta justitia, sed propria; & aliud,

intercedit non nisi impropria. Sicut accidentis, est ens propriè, licet imperfectè, & alia est quæstio; An accidentis sit propriè ens, an imperfectè? Porrò Ratio Asserti est. Quia quando est aliquid imperfectè tale, licet propriè, debet illi convenire tota definitio, & omnia essentialiter requisita illius generis; ut Inductio ostendit, certè enim accidentis convenit tota definitio entis, talpæ tota definitio animalis, desumeturque inæqualitas non ratione inæqualitatis in ipsa ratione generica, sed ratione alicujus adjunctæ differentia specificativæ. Quod ipsum ultius in hoc resolvitur. Quia si non conveniret illi definitio illius entis, & esset propriè illud ens, ut supponitur, & non esset: quia nihil est magis proprium, quam ipsa definitio: est enim ipsum, *quod quid recte*: si enim in ipso *quod quid*, est diversitas, quomodo propriè illud *quod quid* erit? Jam autem requisita essentialiter alteritas ad rigorosam justitiam, non reperitur in subjectis, de quibus actum, adeoque nec propria justitia.

DISPUTATIO IV.

De Speciebus Justitiae.

Aristoteles, cum Libro 5. Eth. c. i. tractasset de justitia à justitia descendendo ad species justitiae, primum agere incepit de justitia particulari, cuius methodum sequendo, sit

QUÆSTIO I.

De Injustitia Particulari, & Generali.

Quid veniat nomine harum virtutum, dixi superius, ubi etiam tractatum est, quod hæc duæ virtutes, sunt virtutes speciales, sub nomine generalis virtutis, intelligendo etiam legalem, quæ verbo discernitur à generali: Leges enim non feruntur nisi ob communionem vitæ. Communio vitæ plures requirit. Justitia etiam legalis plurium bonum est, respicitque bonum commune, sicut & generalis, seu ut loquitur Palao d. unica. p. 8. q. 1. vocatur Legalis: quia legibus bonum commune præscribentibus, est conformis. Manent tamen alia circa hanc materiam disputanda.

DIFFICULTAS I.

An Injustitia Legalis sit rigorosè Injustitia?

Sensus est: An justitia, quæ intercedit inter

communitatem & partem communitatis, sit rigorosa?

DICENDUM est. *Injustiam legalem, non esse rigorosam justitiam.* Ita Valentia & Lugo, contra Salon. Bann. Arag. & post illos, contra Dicast.

PROBATOR I. Rigorosa justitia debet habere alteritatem rigorosam. Sed inter communitatem, cuius bond attendit, & illius privatum, qui illi bono attendit, non intercedit rigorosa alteritas. Ergo, nec justitia. Major probatur, quia *ly* rigorosa, est terminus modificans ipsummet objectum, quod est justitia. Ergo, modificare debet & illa, quæ dicit objectum, alias non objecti esset modificativus ille terminus, sed alicujus alterius. Jam autem justitia, cum sit virtus ad alterum; requirit alteritatem; consequenter, rigorosa justitia rigorosam alteritatem.

Deinde nullius est ad seipsum rigorosa justitia. Ergo, etiam & ubi non est alteritas rigorosa, non erit rigorosa justitia. Minor principalis, Probatur. Communitas & privatus secundum quod ille bonum commune tenetur providere, comparantur inter se, sicut totum & pars, ut ostendit suppositio quæstionis. Sed totius à parte, non est rigorosa alteritas: quia non est alteritas.

Disputatio IV.

101

cas à scipso, quod seipsum, includitur in toto. Rursum impossibile est esse alteritatem rigorosam, nisi distincio rigorosa, nam distincio eligens ad hanc speciem, qua est distinctionis per alteritatem rigorosam. Sed inter communiam, & inter privatum, secundum quod est pars illius, teneturq; providere bono communi, non est distincio, sed identitas. Ergo.

Denique duplex potest esse comparatio inter privatum & communiatem. Imprimis ut de se esse illi partem illius communiatatis, sit circumstantia hic & nunc materialiter nonnisi se habens, ut v. g. cum aliquis contrahit cum communitate de bonis, fructibusque illius, ex quibus vult ditare suum filium, in distincta communiate viventem. Potest item comparati ad communiatem, qua pars illius formaliter est, ita, ut sit comparatio bonorum ad invicem. Hæ comparationes sunt distinctæ: nam in priori habet se privatus ita, ac si, qui nullo modo est in communiate: in posteriori autem non se ita habet, non habere autem se, ut tanquam aliquid communiat, & habere se, ut tanquam aliquid communiat, sunt distinctæ, qua duæ comparationes distinctæ, non essent, nisi ponatur in secunda comparatione imperfecta alteritas, & distincio privati à communiate.

PROBatur 2. à Pari. Non est rigorosa iustitia inter Patrem & Filium, quā tales. Dominum & servum, uxorem & maritum &c. Ergo, neque inter privatum & communiatem.

PROBatur 3. Si iustitia Legalis est iustitia rigorosa, quæro, vel includitur privatus in illa communiate: vel non includitur? si non includitur? non ita in statu questionis: quia hic queritur de communiate, non quomodocunque sumpta, sed prout complectente privatum. Si autem includitur. Ergo, non est privatus perfectè & rigorosè alter à communiate. Quod ipsum sic probatur, quia esse alterum perfectè, est quædam denominatio positiva, licet fundans consequentes negationes: neque enim me esse alterum à Petro, dicit primo negationem Petri, sed primo dicit aliquid positivum meæ entitatis, ad quod consequitur, dicta negatio. Jam autem privatus, prout illum includit communias, qui est v. g. Petrus, non est unde habet denominationem positivam alterius, & è converso: quia hæc denominatio positiva alterius à communiate, quod est v. g. Petrus, debet esse exclusiva negationis Petri: Petrus enim non includit, sed excludit negationem sui, omninoque positiva excludunt negationem sui: quia hoc ipso negativa non positiva essent. Et si non excluderent negationem illius positivi, tunc quæro: Communias illa, prout includens Petrum, vel dicit exclusionem negationis Petri, vel non dicit? si non dicit. Ergo, nec dicit Petrum, quinecessario excludit negationem sui. Si autem communias, prout includens Petrum,

dicit exclusionem negationis Petri. Ergo, non dicit sic sumpta alteritatem à Petro: quia alteritas à Petro, dicit negationem Petri, consequenter, alteritas à Petro dicet inclusionem negationis Petri, non exclusionem negationis Petri.

Tota hæc ratio hoc præsupponit, quod unumquodque ens positivum excludat negationem sui, includat negationem aliorum, per hoc que in ratione alterius constituitur: quia includit negationem aliorum, præter se.

Quod ipsum hac methodo proponitur. Constat communias decem personis, quarum decima sit privatus Petrus, hic Petrus; si comparetur ad primum communiatem, habet denominationem positivam alterius, & simul dicit prædicatum negationis illius primi, & sic de reliquis. Si comparetur ad ultimum, qui est ille ipse, non erit distinctus à se, nec habebit denominationem positivam alterius; nec includet negationem sui, sed excludet; & tamen negatio ejus, cui aliquid opponitur, fundat rationem alterius.

RESPONDEBIS. Posse etiam hic intervenire æquivalentem alteritatem: posset enim dicere privatus, quamvis non fore pars communiatem, satisfacerem tamem.

CONTRA. Tum quia. Äquivalens alteritas non denominat iustum. Tum quia. Conditionata illa posita, si non esset pars communiatem, satisfacerem tamem, conditionata inquam, illa facit, neactus ille sit iustitia legalis; quia facit ne moveatur bono communi: cum tamen legalis iustitia moveri debeat hoc bono communi: æquivalens autem alteritas non facit, dum aliquis sibi solvit, ne verè solvat, & ne utatur motivo iustitiae. Tum quia. Autores in oppositum, nihil agunt de æquivalenti alteritate, sed adstruunt alteritatem formalem partis adhærentis, de quo infra.

DIFFICULTAS II.

Argumenta Oppositorum.

BICIT I. Dicastil. Iustitia distributiva est quasi correlativa iustitiae legalis. Sed illa est iustitia simpliciter. Ergo, & hæc.

RESPONDETUR. Non satis liquet, quomodo iustitia Legalis sit correlativa iustitiae distributiva: si enim nomine correlativi hæc accipiatur membrum oppositum, sic distributiva opponitur prius iustitia commutativa, nec quidquam vetat, ut in quibusdam hæc membra convenient, in quibusdam differant. Si autem nomine correlativi veniat aliquid coniunctum, cum iustitia distributiva, id quicquid verum est, sed inde nihil sequitur: nam potest aliquid esse coniunctum cum altero, non tamen participare eandem rationem cum illo. Sic dispositio-

*I 3 omnes

R. P.
H. MLOD
JANOWSKI
TOM. 3. c. 4.
D. VI
6

omnes sunt conjunctæ cum substantia corporeæ vivente, neque tamen sunt substantia corporeæ vivens: opponiturque homini vero, homo piætus, contineturque sub nomine homo, & tamen homo piætus, non est rigorosè homo. Deinde an justitia distributiva sit rigorosa justitia, de hoc dicetur infra.

Objicit 2. In Legali reperiuntur conditio[n]es justi simpliciter: quia reperitur debitum, æqualitas ex præscripto legis, denique alteritas, simpliciter sufficiens. Quod probatur facile, habent enim Cives singuli, jus & dominium distinctum, à tota communitate. Et sanè Civis quicunque, non est pars totius communitatis, ita naturalis, & inevitabilis, atque filius, est pars Patris: est enim Civis spontanea & libera pars, quæ suo arbitratu, potest se ab ea communitate separare.

Respondeatur. Negando, ob rationes alatas, haberi illic sufficientem alteritatem: consequenter, nec haberi æqualitatem rigorosam, quæ etiam trahit secum alteritatem. Negatur item, cives singulos prout inclusos in communitate, sive formaliter acceptos, habere jus & dominium distinctum à tota communitate: Licet prout non inclusi vel inclusione materialiter non nisi se habente, dicant jus distinctum. Quod autem sit libera pars communitatis civis, non obstat: Nam nemo necessariò commutat, sed non nisi ex suppositione voluntatis, quæ posita, verè contrahitur: ita nemo quidem sine suppositione suæ, vel majorum communitatis, evadit pars communitatis, illa tamen supposita, verè est pars illius, pars, inquam, & physica & moralis; physica quidem, ad eum modum, quo uniuscujusq[ue] ternarii pars physica est unitas, est item pars moralis, ratione unionis moralis inibi intercedentis, liberè item homo facit acervum trium lapidum, & tamen ex suppositione illa libera, non est alteritas adæquata inter unum inclusum lapidem, & tres illos. Ruris licet nemo proximè nascatur civis: liberè enim accedimus ad communionem vitæ, remotè tamen nascimur cives, ratione indigentia communio[n]is vitæ. Denique dantur eventus, in quibus civis non potest se sine injuria subtrahere à communitate, ut si sit unicè necessarius ad defensionem Patriæ, tempore belli.

Objicit 3. Idem. Quamvis civis nihil plenè emolumenti, sed potius multum damni ex Legalis debiti solutione percepturus sit, nihilominus eo debito sàp[er] obligatur; hinc satis colligitur, eum per justitiam Legalem non ordinari ad Rempubl. ut partem intrinsecè constituentem illud ipsum totum, sed ut partem, solum adhærentem toti residuo. Sicut manus dicitur pars residui totius, respectu corporis, ac proinde sicut manus dicitur pars respectu totius residui corporis, omnino est alterum quid; ita & civis respectu totius residue communitatis.

Respondeatur. Quando civis solvit debitum communitati, titulus boni communis, habetque detrimentum, habet illud quâ simpliciter privatus est, sed non quâ est pars communitatis. Unde, quando illa ipsa pecunia extenditur in bonum commune v. g. in defensionem patriæ, non habet per hoc detrimentum privatus, sed participat ex illa defensione, moriensq[ue] pro patria, lucrum habet: quia vita sua defendit eos, quorum pars est, acquiritque & sibi & communitati bohem gloriæ, & famæ, securitatisque suorum &c.

Illud quod adfertur de parte solum adhærente, non convincit. Tum quia. Non est major ratio, quare pars adhærens; ingrediens tamen illam communitatem, dicat alteritatem, & non dicat pars constituens. Unde jam sic arguitur. Tam pars constituens, quam pars adhærens, vel ingreditur, compleatque illam communitatem, vel non ingreditur, nec complet? si nec ingreditur, nec complet. Ergo, tunc non intercedet justitia Legalis: quia non intercedet bonum commune; quod commune, non est, nisi ingredienti, illam communitatem. Si autem pars adhærens ingreditur, & compleat illam communitatem, Ergo, non est major ratio, cur pars constituens non dicat alteritatem rigorosam à toto constituto, dicat adhærens; cum ex eo constituens pars talem alteritatem non dicat, quia ingreditur talem communitatem, quod commune debet esse etiam parti adhærenti. Tum quia, ternarii tertia unitas, non est pars adhærens, sed constituens ternarium. Ergo, & decimus v. g. civis non est pars adhærens communitatis decade illa stantis, sed pars constituens. Tum quia, Vel dantur aliquæ partes communitatis adhærentes, aliæ constituentes, vel omnes sunt adhærentes, si omnes sunt adhærentes, ostende quid illas statuat in genere & formalitate præcisa adhærentium: item si omnes sunt adhærentes, ergo, non sunt adhærentes: cui enim adhærent? cum nihil sit quod illud totum constitueret, omni dicerentur illæ partes adhærente. Si autem aliquæ partes sunt constituentes, da rationem quare v. g. novem reliqui sint partes constituentes, & non ille decimus? Tum quia. Negó manum esse partem adhærentem corpori, cum sit pars constituens integraliter corpus. Tum quia. Si manus comparetur ad corpus simpliciter, sic sumpta non habet perfectam alteritatem, seu quoad omnia: quia in illo corpore, continetur etiam manus, quæ à se ipsa, non habet alteritatem simpliciter, si autem comparetur manus ad corpus cum addito, seu residuum, adeoque non jam ad corpus simpliciter, quia corpus etiam manu constituitur, sic comparata manus habet perfectam alteritatem: accipiet enim non comparata ad corpus, sed ad partes, inter quas est distinctio realis adæquata. Ita etiam in præsenti,

Disputatio IV.

103

lenti, si comparetur civis ad communitatem, quia talem, non habet ab illa alteritatem à se ipso, cum tamen supponatur includi in illa communitate. Si autem comparetur civis ad reliquos, prout partes non nisi sunt, & cum materialiter se tunc habet ratio communitatis, intercedet tunc quidem perfecta alteritas, sed non iustitia legalis, seu iustitia intendens & qualitatem boni communis.

INSTANT Dicast. Manus, quae subit periculum cum totali suo damno, dicitur succurrere toti corpori, non quidem toti, ut includenti etiam manum, sed toti reliquo praeter manum: ita pariter civis comparari potest ad suam Rem publicam.

RESPONDET ex dictis. Posse & aliter comparari, sed si ita comparetur, concedo to-tum, scil. quod illic sit perfecta alteritas; sed nego quod, stante tali comparatione, sit futura iustitia legalis, seu intendens bonum commune. Deinde, stando in allato exemplo, sicut interdum ita manus subvenit corpori, ut non subveniat sibi, casu quo absindatur; ita interdum manus subvenit corpori ut subveniat sibi ipsi, casu quo cibum subministret, & similia, in qua subventione, casu priori, sit subventio corpori cum addito, in posteriore, est subventio corpori simpliter; ita interdum sit à cive aliquid in bonum communitatis reliqua, eritq; tunc perfecta alteritas, sed nego quod intercedat iustitia legalis. Siautem fiat in bonum communitatis simpliciter, erit quidem iustitia legalis, sed nego quod erit iustitia rigorosa. Denique dici potest, non attendi h̄ic ad statum quæstionis, quia formata est negativa hoc sensu, non esse tunc iustitiam rigorosam, quando attenditur ad bonum commune, de quo bono communi participat ipse faciens actum iustitiae legalis. Et effet fallacia accidentis, ab alteritate reperibili in uno sensu, arguere ad alteritatem reperibilem in alio sensu.

Continuatur solutio Argumentorum.

OBJICIT 4. Quidam eundem medium terminum. Quando fit actus iustitiae legalis, inventur debitum non solius congruitatis, sed ex ipsa conditione bonorum, quæ eo ipso quod sint bona partium, sunt obligata bono totius, ut ipsis etiam invitis, licetè auferri possint, quod non fieret, si essent obligata virtute magnificientiae vel liberalitatis. Est etiam in illo jure alteritas: quia quamvis sit pars alicuius totius, tamen ratione multorum suppositorum aliorum, non tantum est quid alterum à singulis partibus, sed etiam est aliquid aliud. Deinde, quia una communitas, vel ejus aliqua pars, potest restituere debitum alteri communitati, vel alicui ipsius parti, ex motivo boni communis, reperitur deinde & qualitas: quia potest facere tantum privatus, quantum exigit bonum commune h̄ic & nunc ab illo. Addit tamen bene, concedi pos-

se, quod quamvis iustitia legalis sit propriè dicta iustitia, non sit tamen & quæ perfecta ac particularis.

RESPONDETUR. Non est illic debitum rigorosum: quia nullius est erga seipsum, debitum rigorosum; cum etiam nemo se injuriare possit; nec adeo illic rigorosa alteritas, si sumatur intentio boni communis, hoc sensu, quo à nobis est supra explicata; & si moveatur bono communaliis pluribus, non sibi, movebitur bono communali materialiter, non communis formaliter, quia non sibi proprio. Et sicut, cum satratis pluribus ementibus, quia plures sunt, pluralitas illa & communitas materialiter se habet, nec extrahit ille actus, ultra speciem contractus emptionis, & venditionis, nec tunc fit iustitia legalis formaliter; ita nec fiet, quando a liquid solvit ob bonum commune non nisi materialiter; ut fit, dum non participat ex bono, ille, qui illud bonum exhibet. Quod autem dicitur; iustitiam legalem esse quidem propriè iustitiam, non tamen & quæ perfectam; ex dictis non convincit: quia non potest dici id esse propriè iustitia, ex dictis supra, quod non participat inclusa necessario in ratione iustitiae generica, in qua ratione rigorosæ iustitiae, includitur rigorosa alteritas, quæ non invenitur in legali iustitia.

OBJICIT 5. Idem. Auctoritatem Aristoteles, qui §. Eth. 2. appellat hanc iustitiam univocam cum particulari; nullibq; S. Thomas numerat eam, inter partes potentiales, aut inter iustitias secundum quid, ponitq; illam esse alteram speciem iustitiae, & tamen species, debet participare rationem generis, quam dividunt, appellatque S. Th. hic q. 58. a. 5. hanc iustitiam. iustitiam secundum propriam rationem.

RESPONDET Valent. Auctoritati Aristoteles. Quod hoc sensu iustitia, etiam legalis, sit univoca cum particulari, in quantum dividunt genus, quod est esse ad alterum quocunq; modo, in quo, quocunq; modo, italatè sumpto, univocè convenient illa membra. Dici etiam potest, quod illic Aristoteles egerit de iustitia attendente ad bonum commune materialiter sumptum, eo quod videatur, velle definire postea de iustitia legali, h. e. de iustitia indubie intendente bonum commune formaliter, verba incipiunt. Que vero ad singulorum institutionem spectant &c. fortè etiam univocam appellat virtutem particularem comparatam ad rationes differentiales, individuales ejusdem, non autem comparatam ad genus. Ad eum modum, quo homo est quid univocum comparatus ad sui individua, licet homo pictus non sit univocè homo, nec item quid univocum, ratio quam participant. Quod attinet ad Auctoritatem S. Th. quando ille q. 58. a. 5. dicit, quod & ad communatem, & ad partem possit se habere iustitia, secundum propriam rationem, per propriam ratio-

* I 4 nem

R P
THOMOD
TOM. 3. c. 4.
D. VI
G

nem non intelligit rigorosam, sed motivi specialitatem, & aequalitatem inibi reperibilem, in quantum aequalitas non importat praedicatum alteritatis, numeratque justitiam legalem inter partes subjectivas justitiae non strictè sumptae, sed communiter acceptae; in quantum illa importat aequalitatem, obligativam, cui communitatio & pars, reddi possit: cum tamen in aliis partibus potentialibus, aut par redi non possit, ut Parentibus, aut non adest obligatio, ut in gratitudine, veridicitate, &c. Genus autem, quod dividunt justitia legalis & particularis, genus inquam illud, non est justitia rigorosa, sed communis ad rigorosam & non rigorosam.

DIFFICULTAS III.

De Objeto Justitiae Legalis.

HAEC Questionem pensiculatus examinat Lugo cit.a.n.63. ipseque tandem

EXPLICAT hoc jus. Sicut filius præstat erga Patrem officia, quæ præstare potest erga alios, sed ex affectu diverso, nempe propter peculiarem conjunctionem, quam habet cum patre; ita potest eadem officia præstare erga Rem publicam vel communitatem, cuius est pars, propter illam peculiarem conjunctionem, quæ habet cum ipsa, tanquam membrum cum corpore, &c. *Hæc Explicatio*

NON SATIS FACIT. Tum quia. Concedo esse peculiarem conjunctionem civis cum communitate, sed querere restat, quomodo sit illa justitialis, fundativaq; debiti? Tum quia; plures sunt modi conjunctionis cum communitate, & ita servi, communitates, amici habent hanc conjunctionem cum communitate, daturq; ratio communis conjunctionis, quæ ratio non est justitialis; querere ergo restabit, per quid illa conjunctione sit jus, fundans debitum in civem? Tum quia. Concedo secundum allata à Lugone, justitiam legalem distinguere a pietate: hæc enim bonum commune propriè non respicit, differt item ab obedientia, gratitudine &c. sed querere restat, si est distincta virtus, quomodo in specie justitiae constituitur? ut explicetur jus illud.

PRÆMITTO 1. *Quod nemo sit necessariò antecedenter justus.*

RATIO. Quia justitia competere potest, non nisi natura intellectuali: habet enim bonitatem, quæ non est sensibilis, adeoque debita non nisi naturæ intellectuali, natura autem intellectuali, non est necessariò antecedenter justa: quia hæc natura est Deus, cui non competit unquam obligari ex justitia, ut dictum supra; sunt Angeli & homines, qui etiam non sunt antecedenter necessariò justi; quia alias nullum datur in justitiae peccatum: quia antecedenter necessarii, nunquam oppositum fieri potest: hoc enim antecedenter necessarium, est neces-

sarium in causa: quæ si est solum principiativa justi, non potest esse principiativa injusti, alias illa in justitia, esset sine causa. Rursus, actus justitiae est actus laudabilis. Ergo liber, ut supponitur communiter. Ergo, non necessarius in causa. Denique quia actus justitiae est actus voluntatis, si est actus voluntatis, est actus potentiae liberæ, & quidem liberè operantis, liberæ quidem: quia supponitur, ex experientia, nos esse liberos, est item actus potentiae liberè operantis, quia creata voluntas non nisi circa bonum infinitum, necessariò agit, justitia autem non est tale bonum. Si autem actus justitiae, est actus potentiae liberæ, & quidem liberè operantis, non erit actus justitiae antecedenter necessarius, quod intendit Præmissum. Si etiam daretur creatura aliqua, essentialiter determinata, non nisi ad honestè agendum, illa antecedenter in omni communitate vita, esset non nisi justa.

PRÆMITTO 2. *Sicut nemo est antecedenter justus & necessario, ita nec quisquam est necessario civis.*

RATIO. Quia vel primum evadit civis, vel ab origine: si primum, intercedit tunc actus voluntatis, liberè se determinantis ad hoc, ut evadat pars communitatatis: si secundum, etiam hoc sit liberè in capite, quæ libertas capitum moraliter perdurat in progenie, quo usq; non repugnat illi exercitio libertatis, quod posuit caput, de ingrediendo hanc communitatem.

PRÆMITTO 3. *Quotiescumq; intervenit bonorum ad invicem participatio, unoq; veniente cum suo superabundant ad indigentiam alius ex plendam, toties interveniente justitiam.* Hocq; probant commercia, commutationes, universaliterque do ut des, facio ut facias: quo posito, illi evadet, hoc suum: quia etiam hoc evadit tuum in communitate vita: si autem hoc illi evadit suum, quia ille evadit tuum, hoc ipso illa res jam evadet obligata ex justitia.

PRÆMITTO 4. *Ex civili vita & ex communitate redundare bona in civium utilitatem, & bonum.*

RATIO Præmissi est; mundi consensus; intuitu enim horum bonorum, vel ipsæ urbes & villæ aedificatae, ipsumque est animalium & hominum, debetur communitatii vita conjugalis. Hic ipse mundi consensus resolvitur ulterius in instinctum naturæ, dantis potentias communis vita inchoativas. Talis est totus sensuum apparatus, præcipue lingua, communionis vita, primum instrumentum.

PROBAT hoc deniq; Paritas ducta ab inanimatis, quorum conjunctione, redundat in bonum & utilitatem eorundem. Sic bonum est ignis urere, & comburere omnia, bonum hoc augetur ex conjunctione plurium partium ignis, bonum est specierum mouere sensum, hoc bonum augetur ex conjunctione specierum, & sic una arbustula, quæ non videretur alias, in sylva tumultu, movet sensum. Ergo, etiam & communio

nio vita inter creatureas rationales adferet bonum. Quod ipsum etiam in Metaphysico principio fundatur: quia in communionem vitæ, ad constituantem Rem publicam, dat unaquaque creatura intellec[t]ualis esse suum Ph[ys]icum, una cum suo esse morali; plura autem bona physica & bona moralia, sunt melius, quam unum ex illis. Quæ autem in particulari sint ista bona, reflexio ostendit.

PREÆMITTO 5. Si communitas adfert bona ci-vibus, ipsa communitas habebit jus ratione illius superabundantis obligati vnum civium, ratione illorum honorum, que participant, respondebitque debitum in iis civibus, bonum illud commune curandi. Quod si ulterius datur jus & debitum, debebit daria qualitas correspondentia ad illud jus; si autem dabitur æqualitas correspondentia ad illud jus, dabitur & justitia: hæc enim æqualitate formalisatur. His præmissis

EXPLICATUR. Quodnam sit objectum justitiae legalis.

Nemo est necessariò antecedenter justus, ut dictum Præm. 1. nec necessariò civis, ut dictum Præm. 2. libereque ingredimur communitatem aliquam, qui ipse ingressus communis-tatis, ut trahat secum debitum justitiale, debet supponere bonorum ad invicem, superabundantiumq[ue] communicationem, ut dixi Præm. 3. Et quia civilis vita & communitas adfert suum superabundans in bonum civium & privatov-rum, ut dixi Præm. 4. resultabit etiam in civibus debitum satisfaciendi communitat[i] illi, qua sa-sfactione ad æqualitatem posita, formalisabitur ratio justitiae legalis.

Breviter ergo. Justitia legalis habet pro ob-jecto immediato æqualitatem satisfaciendi ad jus boni communis; remotum autem obje-ctum erit indigentia communis, ut ratione bonorum à se collatorum, satisfiat bono suo communi.

QUÆSTIO II.

De Iustitia distributiva.

A liqua hanc Quæstionem concernentia, perfrinximus, ubi egimus de formalis ju-stitia, reliqua hic pensanda.

DIFFICULTAS I.

Præmituntur Quædam.


PREÆMITTO 1. Dari de facto iustitiam distri-butivam, eique oppositum membrum iustitiam commutativam.

RATIO S. Thomæ posita h[ic] q. 61. a. 1. refe-re[n]te se ad q. 58. a. 8. tali discursu proponitur. Nullibi est justitia, ubi non est virtus ad alterum, secundum communionem vitæ, quæ alteritas in communione vitæ, duos habet terminos, partem seu privatum, & communitatem, quorum duorum terminorum tres sunt conju-

gationes. Prima, partis ad partem, & inde con-surgit iustitia particularium inter se æquativa, vocaturque iustitia commutativa, & hunc ordinem dirigit, inquit S. Thomas. *Commutativa iu-stitia, qua consilis in his, que mutuò sunt inter duas personas ad invicem.* Alia est conjugatio totius ad partes: sicut enim partes respiciunt totum, quod restituunt; ita & totum, respicit partes, tanquam ad se ordinabiles; huic habitudini totius ad partes, debuit etiam aliqua virtus assi-gnari, eaque ex æquativa suo modo totius cum partibus & privatis: & hæc est iustitia distributi-va. Verba sunt S. Thom. *Aliquando attenditur totius ad partes, & huic ordinis assimilatur ordo ejus, quod est commune ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiva, que est distributiva communis secundum proportionalitatem.* Deniq[ue] est habitudo partis ad communitatem, intentiva scil. boni communis, quæ talis, & hæc spectat ad iustitiam legalem, de qua supra.

PREÆMITTO 2. *Iustitiam commutativam & distributivam, esse duas iusticias realiter distinctas.* Tum quia; potest aliquis rectè se habere, quæ privatus ad privatum, & non rectè se habere, quæ Princeps ad subditum, hocq[ue] expressit Aris-toteles 5. Eth. c. 1. *Multienim sunt, qui in pri-vatis rebus, virtute uti possunt in ceteris, que ad alium spectant non possint. Vnde rectè illud Biantis dictum videtur: Principatus virum ostendit.* Tum quia. Actus distributivæ ab actibus commuta-tivæ distinguuntur realiter: quis enim dicat vendentem calceos distribuere. Ergo, & ha-bitus ex illis actibus nati, distinguuntur realiter. Tum quia. Quando negatio unius non est ne-gatio alterius, apparet illa esse distincta realiter: nam est impossibile idem non esse & esse; sicut trita collocatione; impossibile est idem esse & non esse; hæc enim duo collocatione differunt. Si autem non essent distincta realiter, ea, quorum uno negato non negatur aliud, tunc idem non esset, & esset quidem idem: quia nihil de seipso negatur, esset autem idem, ut supponis. Sed negata in aliquo iustitiâ distributiva, non negatur commutativa, & è converso; quia potest aliquis commutare non distribuere, consequenter commutare justè, non distribuere justè. Ergo; apparet, quod negatio unius, non sit hic negatio alterius, adeoq[ue] inter hæc intercedet distinctio realis.

PREÆMITTO 3. *Iustitiam distributivam non esse propriè & rigorosè iustitiam.* Est assertum Suar. Rebelli. Lugo d. 1. n. 15. Ratio. Tum quia. Justitia legalis non est iustitia propriè di-cta. Ergo, nec distributiva. Tum quia; colli-geatur ex dicendis, in formalis distributivæ, non reperiri rigorem iustitiale. Tum quia. In aliis rigoribus iustitiis, commissa in iustitia, urget ad restitutionem, hæc autem non habetur in distributiva. Etsi esset distributiva rigorosa ju-stitia,



stitia, dignitas talibus circumstantionata meritis, appropriaret sibi præmia, & ex appropriatione fundaret debitum restituendi, quod tamen non fundat.

DICES. S.Th. in Procēmio præsentis quæst. 61. numerat distributivam inter partes subjectivas justitiae.

RESPONDET Lugo. Quod explicet se inferioris S.Thomas a.i. ad 2. Nam cum sibi objectifiet, quod justitia det unicuique quod suum est, distributiva autem id non facit: quia dat commune. Respondeat: Quod scit pars & totum quodammodo sunt idem: ita id, quod est totius, quodammodo est partis; & ita, cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit, quod suum est, in particulam dimicnuentem aliquo modo. Deinde ponitur distributiva inter partes subjectivas justitiae: quia licet non respiciat proprium jus, respicit propriam æqualitatem, ad quam tamen maximè attendit justitia. Deniq; distributiva est pars subjectiva justitiae, sed communis, ad rigorosam & non rigorosam.

INSTAT. Rationale & irrationalis sunt partes subjectivæ animalis. Ergo, & distributiva cum commutativa erunt partes subjectivæ justitiae: quia utrumque hoc membrum continetur sub genere justitiae.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia in nullo defictrionale & irrationale, quomodo dicatur animal, secus distributiva. Neque datur animal, aut saltem de illo hinc non supponitur, quod sit genus ad animal rigorosè & non rigorosè, respectu cuius tam latè sumptu animalis, posset esse pars subjectiva aliquid animal non rigorosè tale. Jam autem hinc, potest ita agi, de justitia distributiva.

PÆMITTO 4. In omni distributiva requiri plures personas, inter quas fieri debet distributio, tanquam objectum comparabile. Est Assertum cum Arist. Vsq. Lugo. Contra Suar. & Rebel Ratio, quia distributiva est virtus habentis se ad partem communitatis illius generis, ut dictum Præmissio i. Impossibile autem est, esse communitatem sine pluralitate. Tum quia, distributiva attendit ad æqualitatem geometricam, quæ est inter quatuor terminos, ut habet Aristoteles. Eth. c. i. Necessariò consequitur, ut jus in quatuor minimis veretur: nam & ii, quibus jus aliquod est, duo sunt (en pluralitatem personarum) & res due etiam in quibus jus ipsum consistit. Tum quia, ut advertit Lugo, vis vocis distribuere, connotat plures occurrentes, qui accipiant.

DICES. Quando vacat unum beneficium, tunc non distribuitur inter plures, & tamen si detur digniori, est actus justitiae distributivæ. Ergo, distributiva, plures personas non exigit.

RESPONDETUR. Distributivam non exige plures personas, tanquam acti possessorum distributæ rei accipientes, exigit tamen

plures personas, tanquam objectum comparabile, cui dandum sit, secundum taxam dignitatis.

INSTABIS. Distributiva non exigit plures personas, etiam tanquam objectum comparabile: quia si unus solus occurrat, qui in cursu postulet beneficium, tunc nulla fit comparatio, & tamen fit actus distributivæ.

RESPONDETUR. Non fieri tune comparationem venientium actu ad concursum, fieri tamen comparationem venientium sub hypothesi: quia scilicet, si indignores venirent non datur illic beneficium, quo casu intervenit comparatio, eaque actualis plurium, licet non plurimum actu venientium in concursu. Quanquam sunt aliqui, qui tunc dicunt intercedere nonnulli actum commutativæ. Quando autem dicit, Rebel, sequi ex his principiis, etiam commutativam requirere plures personas, tanquam objectum comparabile, idque ex eo: quia qui ex commutativa restituit, comparare debet creditoris cum aliis, qui similem titulum non habent. Id non convincit: Nam non est comparare, propriè loquendo, sed simplex noscere, cui res debetur, comparatio enim propriè respicit plures eundem titulum habentes: sicut enim in comparatione grammatica, sunt gradus cum retinentia ejusdem objecti, licet inæqualis quoad excellentiam, hinc in comparatione non moveretur bonus in doctorem, sed in meliorem, ut retineatur idem objectum ita & in comparationibus aliis, debet esse respicientia plurium, titulum similem habentium: quia autem, cui ego non debeo, non habet eundem titulum, cum eo, cui debeo, sit, ut tunc non sit comparatio rigorosa. Sed posito etiam in commutativa fieri comparationem, sequitur quidem interdum in commutativa requiri plures personas, sed non sequitur, non debere repetiri etiam in distributiva, idque cum hoc discrimine, quia tota ratio commutativa posset salvare sine hac comparatione: si enim essent non nisi duo homines possibles, benè illi commutare possent justitiae, illaq; commutatio, ad nullam aliam virtutem spectaret; si autem non esset nisi conferens beneficium & accipiens, non esset ille actus distributivæ, sed potius simpliciter collativæ. Lugo autem dicit in casu restitutionis, non fieri comparationem inter plures ad hoc, ut membra communitatis participant ex bonis, vel honoribus communitatis, pro ratione meritorum & virium, qui est finis distributivæ; sed ut quisque habeat, quod suum est.

PÆMITTO 5. In omni distributiva attendi ad dignitatem; ita loquitur Aristoteles s. Eth. cap. 3. Ius, quod est in distinctionibus pro dignitate quadam esse oportere, omnes fatentur. Estque eadem mens S.Thomæ hic q. 61. a. 2. Conditi, inquit, persona in distributiva justitia, attenditur, secundum je.

DIFFI-

Disputatio IV.

107

DIFFICULTAS II.

Quodnam Objectum respicit justitia distributiva?

Omnis justitiae objectum remotum est jus: proximum æqualitas; de utroque agetur, decideturq; quæstio; an commutativa & distributiva differentia specie?

Punctum Difficultatis 1.

An distributivæ Objectum, sit componere jus communitatis cum jure privati?

Dicit hoc Esparza q. 18. & dat Explicacionem.

PONIT 1. Tres esse classes bonorum communium. Prima est eorum, quæ communitatis interest, ne approprientur singulis civibus seorsim, ut jus fluvii. Secunda classis est bonorum communium, quæ communitatis interest, ut soli singulorum civium utilitati directè ac immediate destinantur, ut pecuniae. Tertia classis bonorum communium est, ut distribuantur civibus ob ipsorum utilitatem, sed multo magis ob utilitatem communitatis, talia sunt officia publica, &c.

PONIT 2. Secundum triplicem hanc bonorum classem, triplex jus pullulare. Primum jus communitatis, sine jure privatorum, nisi inadæquato. Secundum jus appropriatum privatis, sed cum intentione primaria boni communitatis, ita tamen ut in utroq; hoc jure, intercedat comparatio, lex partitionis, &c. Circa primum jus, non potest versari distributiva, quomodo enim tunc intercederet distributiva, cum caveatur ne distribuatur? De posterioribus potest esse difficultas, quia utrumq; posteriorius jus comparationem dignitatis requirit. De qua comparatione.

PONIT 3. Duplicem posse esse necessitatem adhibendae comparationis dignitatis, personarum: alia enim instituitur, ut non sifstatur in dignitate ipsa secundum se, sed in æqualitate arithmeticæ damni & lucri. Alia autem, ut innoteat correspondencia rerū ad dignitates, sistenti in illa secundum se; priusq; illud pertinet ad commutativam, posterius ad distributivam.

Ex quo

INFERT; ita esse explicandam, sicque definiendam distributivam. Quod sit virtus unicuique tribuendi jus partim collectivè sive individuali cum aliis; partim distributivè seu seorsim suum. Commutativa verò est virtus unicuique tribuens jus adæquatè suum, distributivè seu seorsim. Additq; nomine boni communis simpliciter & absolute prolati, intelligi, quod per se & ex natura sua est bonum communitatis, nec habet, nec dare potest, nisi communitas, aut qui gerit personam communitatis, cujusmodi sunt officia publica, honores. Hac Explicatio


NON SATISFACIT. Tum quia. Non satisfacit intento: nam hic queritur, quodnam jus respiciat distributiva: ille autem totus est, ut videre est posito primo, in ostendenda materia, circa quam versatur distributiva; & tamen materia justitiae, cum ipso jure, non est idem. Et ita in commutativa materia sunt v.g. pannus, panis &c. neq; tamen hæc sunt jus, quod respicit commutativa. Quod autem Præmisso secundo dicit jus distributivæ, esse jus appropriatum etiam privatis, cum intentione primaria boni communitatis, hoc jus potius est effectus distributivæ, modusq; dominandi & possidendi rem distributam, non autem jus, quod æquare in ante, intendat justitia. Sic v.g. jus quod est

potestas, rem commutandi & utendi re sicut volueris, non est jus, cuius æquatio constitutat commutativam, sed effectus, modusque possidendi, commutatione acquisitum, ita & in praesenti. Tum quia. Immerito dicit distributivam ut sic, spectare ad communitatem, vel eum qui personam gerit communitatis: quia in probabili sententia, datur in Deo distributiva, & in nostris principiis, quasi distributiva: neque tamen hæc debetur Deo, quasi gerenti vicem communitatis, sed præcisè ratione sua excellentiæ. In republica etiam Angelorum, deberet esse distributio honorum Angelicorum, qui honor maximus deberetur supremo Angelo, gubernatioq; reliquorum: quia gubernatio ex intrinsecis principiis penes excellentissimum esse debet, nisi morale vitium impedit, quo casu excellentissimus ille Angelus, haberet distributivam respectu inferiorum, & tamen non haberet ratione ejus, quod personam gereret communitatis; sed quia natura excellentissimus est, licet ordinari distributiva in humanis, sit penes communitatem, vel gerentem personam communitatis: quia inter homines non datur supremitas aliqua sequens excellentiam naturalem. Tum quia. Sicut unus idemq; actus fieri potest ex pluribus motivis, ita & collatio dignitatis potest fieri ex plurium justitiarum motivis, modo illarum formale, in illa collatione relucat. Pone ergo in collatione dignitatum primariò relucere intentionem boni communis, certè erit tunc actus justitiae legalis: hæc enim tunc actus bonum commune intendit; da ergo aliud formalisatum justitiae distributivæ, & non intentionem boni communis; quia hæc spectat ad legalem. Cum tamen ad hanc intentionem recurrit Esparza.

Punctum Difficultatis 2.

An formale Distributivæ sit æqualitas Geometrica?

EXPLICATUR 2. Idque communiter. Formale objectum distributivæ, quod sit æqualitas



itas secundum proportionem geometricam. E contra æqualitas secundum proportionem arithmeticam, erit obiectum commutativæ. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Concedi quidem potest, quod semper & omni distributivæ, conveniat attendere ad æqualitatem geometricam, sed non soli; eo quod in multis, etiam commutativa, attendat ad proportionem geometricam, licet non semper nec omnis, quando enim debetur unum uni, nulla est necessaria consideratio proportionis geometricæ. Quamvis autem S. Thomas, & Aristoteles in explicanda distributiva meminerint *proportionis geometricæ*, meminerunt tanquam rationis, quæ & omni, & semper conveniat distributivæ, adeoq; rationis, quæ ex his duobus titulis magis sit adstricta ad distributivam, quod etiam post Suar. docuit Lugo. Quod autem etiam commutativæ conveniat interdum attendere ad proportionem geometricam, plures Instantia formantur ab Auctoribus.

1. INSTANTIA. Ex Lugo, quam desumit ex 5. Eth. c. 2. & 4. ubi docet Aristoteles ad justitiam commutativam pertinere, ut emendet commercia humana, sèpè autem in ejusmodi emendatione, debet servari æqualitas geometrica, ut cumquis ex contractu debet multis, quibus non potest integrè satisfacere, adeoq; debet singulis satisfacere, plus vel minus secundum majus vel minus debitum.

2. INSTANTIA. Cum ex contractu societatis debet lucrum dividi inter socios per partes inæquales, attendi tunc debebit ad proportionem geometricam.

3. INSTANTIA. Ex Buridano. Quando ex liberalitate largitur aliquis bona suis famulis, secundum proportionem geometricam.

4. INSTANTIA. Potest aliquis pacisci pro operis, intervenientq; tunc commutativa; & tamen fieri potest paclum de solutione secundum proportionem geometricam ad laborem.

5. INSTANTIA. Potest aliquis intuitu boni communis conferre magistratum, secundum proportionem geometricam, facitque tunc aetum legalis justitiae: quia respicier ejus motivum, & tamen secundum proportionem geometricam, quod accideret, si proponeretur præmium à Republica ea conditione, ut illud accipiat dignissimus.

RESPONDEBIS 1. In adlatis exemplis adhiberi proportionem geometricam solum directivæ, & per accidens, non autem formaliter & constitutivæ, quo tamen modo adhibetur in distributiva.

CONTRA. Ergo æqualitas proportionis geometricæ, non potest esse constitutiva distributivæ: quia universaliter non potest esse constitutivum alicujus, quod competit alteri: constitutivum enim debet constituto convenire o-

mni, soli, & semper. Et certè, se etiam per accidens, Leo esset rationalis, rationalitas non esset constitutiva hominis, ita & in præsenti. Deinde, da rationem, cur per accidens non nisi competit hæc æqualitas geometrica commutativæ justitiae, saltē in aliquo casu?

RESPONDEBIS 2. Intervenire tunc duplēcē justitiam & commutativam, & distributivam.

CONTRA. Tum quia. Nulla est necessitas ponendi duplēcē hanc justitiam, cum non sit ratio, quare saltē interdum commutativa justitia, non possit uti proportione geometrica. Tum quia. Debitor reddens quantum potest, sed non totū, utensq; proportione geometrica, nondicitur distribuere, sed reddere quod debet. Ergo, apparet tunc non intervenire distributivam. Tum quia. Hæc attendentia ad proportionem geometricam, haberi potest, etiam in virtute, quæ non sit justitia commutativa v.g. in liberalitate. Ergo, immerito dicitur, secundum usum proportionis geometricæ, intervenire duplēcē justitiam.

RESPONDEBIS 3. Quod æqualitas geometrica, per se & propter se, requiratur à distributiva, non requiratur propter se à commutativa, sed ut resulset Arithmeticæ.

CONTRA. Tum quia, si Ly per se & propter se hoc importat, quod distributiva, nunquam possit reperiri sine æqualitate geometrica, vera est propositio, sed si Ly propter se significat, quod sola distributiva, illa proportione utatur, probanda hæc ipsa esset propositio. Si autem non sola distributiva utitur illa proportione. Ergo, æqualitas geometrica, non erit formalisativa distributiva. Tum quia; sicut commutativa primariò intendit, quantum ex contractu debitum, ita distributiva intendit quantum, debitum huic dignitati; cur ergo in posteriori casu, per se attendetur ad proportionem geometricam, & non in priori? Tum quia. Non est major ratio, cur in aliquo casu, non propter se, pro illo casu, requiratur æqualitas geometrica, à commutativa justitia? si requiritur à distributiva, propter se.

NON SATISFACIT 2. Attendentia ad medium rationis, habet se non nisi præviè ad actus justitiales. Ergo & attendentia ad prætaxaciones proportionis arithmeticæ, & geometricæ, præviè se non nisi habebit, ad actus justitiales.

NON SATISFACIT 3. Accipiamus solutionem debiti, per partes inæquales inæqualium debitorum; accipiamus item præmiationes per præmia inæqualia, inæqualium meritorum, utrobique intercedit proportio proportionum; cur ergo in priori casu, non est illa ultimo formalisativa commutativæ, est formalisativa distributivæ?

EXPLICAT 3. Perez. Dicitq; justum commutativum, esse, ipsam æqualitatem dati & accepti,

Disputatio IV.

109

cepti, ratione cuius sit, ut in contractu & commercio humanis aliquis, non patiatur damnum. Unde apparet justitiam commutativam respicere in persona, cui tribuit jus, potentiam quam dampnandi damnum, in humanis commerciis & contractibus, curatque facere commutativa, ut haec commercia & contractus fiant sine danno alterius, nec attendit ad quantitatem dignitatis personæ, sed solum ad quantitatem dani, quin forte accidat, dignitatem personæ facere, ut dimum sit majus.

Justum autem distributivum, ut tale, non respicit damnum personæ, cui illud est tribuendum, sed ad dignitatem personæ, cui est proportionale dandum. Duplex autem est in natura rationali potentia. Prima est potentia propria indigentis, potens recipere bonum & malum, cui prospicit justitia commutativa: nec aliter propicere potest, nisi constituendo æqualitatem inter datum & acceptum necessariam. Alia est potentia benefactiva, & hæc est propriæ dignitas, cui propriæ non debetur lucrum, sed honor. Quod autem virtus benefactiva sit dignitas, patet: quia honor, per Aristotelem, est signum virtutis beneficæ & debitum eidem, at, honorem, certum est, esse dignitatis signum, & debet dignitati. Ergo, virtus benefactiva est dignitas. Hoc itaq; curat justitia distributiva, ne impediatur virtus benefactiva, sed potius promoveatur ac juvetur, quod idem est ac curare ne impediatur, sed promoveatur virtus adiva boni communis. Nam virtus benefactiva commune quoddam bonum est, neq; solum querit bonum habentis eam virtutem, sed radios bonitatis, extra se diffundit. *Hæc Expli-*

tatio
NON SATIS FACIT. Tum quia. Videtur supponere, quod sola commutativa, damnum amoliatur, cum hoc amoliatur etiam distributiva, & si ultraq; amolitur injuriam, utraque amolietur damnum: hæc enim in præsenti idem valent. Et certè non est ratio, cur non solvere pro calceis quantum debes, inferat damnum, & non inferat damnum, non habere tantum de præmio, quantum debetur. Tum quia. Videatur supponere, quod justitia distributiva, quæ talis, respiciat dignitatem personarum, cum resipientia hæc spectet ad prudentiam prætaxantem, hocque ipso non respiceret justitia medium rei, si formaliter respiceret dignitatem, cum dignitas non sit res, sed id, cui res debentur. Tum quia, quando nomine dignitatis accipit virtutem benefactivam, aut hanc dignitatem accipit, secundum quod est in distribuentे, vel secundum quod est in eo, cui distribuitur, si accipit secundum, quod est in distribuentे. Ergo, distribuens in distributione respicit se ipsum: quia respicit dignitatem benefactivam, in se inclusam. Ergo, ulterius, non bene merito, sed sibi proportionat præmia, consequenter

non respicit alterum, sed se. Si autem consideretur dignitas, secundum quod est in eo, cui distribuitur, negatur universaliter bene illam circumscribi, quod sit virtus benefactiva, quod ipsum exinde ostenditur: nam quando aliquis pluribus dat eleemosynam, habet virtutem benefactivam, à qua denominatur benefactor, nec tamen per hoc dignitatem acquirit, de qua hic. Rursus dignitas stare potest, etiamsi non sit benefactio, hinc si in Repub. Angelorum debeat esse distributio honoris, quamvis non intercederent ulla beneficia ad invicem, tamen dari deberet honor, secundum ipsam excellentiam entitativam, adeoq; dignitatem physicam: & tamen sine formalitate benefacientis. In ipso etiam Deo, formalitas digni, & formalitas benefacientis, longè est alia.

Deniq; virtus benefactiva fundat erga se gratitudinem, deberet autem fundare non nisi debitum distributivæ. Hocq; respicit etiam sensus communis: nam non dicuntur benefactores ii, quibus distribuitur aliquid, sed ipsi distribuentes, dicuntur benefacere bene meritum, &c. Si autem nomine virtutis benefactivæ intelligas virtutem merendi, de hoc ipso queritur quod formale, justitiae distributivæ quæ retribuit hominis virtuti meritivæ.

Punctum Difficultatis 3.

Quod tandem formale distributivæ, & ejus specificativum?

Diximus in materia, de medio rei, quod attendere ad æqualitatem geometricam, spectet ad distributivam completem sumptam; & secundum quod ad illam reducentur, quæcumque nexa & requisita; licet ipsum illud attendere, spectet ad prudentiam, sequens autem hanc taxam æqualitas, spectat ad distributivam, hocq; in superioribus dictum: hujus autem æqualitatis, quodnam sit formale nunc dicendum.

EPLICATUR Formale distributivæ. Sicut in scientiis & habitibus, non repugnat, ut eadem ratio à pluribus attingatur sub diverso formalis, ita & idem bonum commune attingere possunt, etiam diversæ species justitiae, modo id sub alia & alia formalitate faciant. Cùm enim & ipsum bonum commune sit capax terminaræ alias & alias in se tendentias, dari etiam debent virtutes, illis rationibus attendentes, ut ita potentia actus, & actibus potentia commensuretur.

Porro bonum commune dupliciter, quantum ad præsens, attingi potest. Velenim attingitur bonum commune, tanquam curandum ab ipsiusmet privatis, augentibus fortunam communitatis, dum ei se justant, & hoc, ut dictum supra, faciet justitia legalis; vel attingi potest bonum commune, tanquam participandum ab

* K ipsi-

R P
THI MILOD
13.10.1881
TOM. 3. c. 4.
D. V
6

Tractatus I.

ipsiusmet partibus illius communis, ita, ut ex illa participatione, in se derivata, à communite, augeatur, fortuna ipsiusmet privati, & hoc spectabit ad iustitiam distributivam, ut voluit ipse S. Thomas sup. cit. *Premissio primo*

Quod ipsum completere fortunam ipsiusmet privati, spectabit ad alium, qui non sit ipsem partem illius privatus: quia esset omnino disordinatum, ut sibi quisque, quantum voluerit, de bonis communibus deponat: quia faciliter fieret injuria, uno sibi omnia arrogante, vel plura, quam illi debentur. Et si nunc cum aliis distribuunt, stimulantur accipientes distributa, ad plus habendum, multo magis stimularentur, si esset penes ipsos licentia, de bonis communibus participandi. Cujus haec ratio assignari etiam posset: quia amor quo unusquisque in se fertur, est principium arrogandi sibi; & querendi bona, quae arrogatio ex duplice principio in nobis ordinatur. Imprimis ex defectu notitiae nostri, attollit enim nos nobis, nostra cognitio, cui vult se æquare amor, & sibi plura, quam debentur, addicere bona. Deinde, quia amor noster, & notitia de nobis est finita, vultque ulterius & ulterius crescere, fitque ut limites debiti transcedat. Unde Deus est reæstissimus in amore sui, & titulus suæ notitiae, & titulus infinitudinis, quæ excludit incrementum amoris, ultra debitos finies. Debeat ergo aliud esse principium distribuens bona hæc communia, & non ipse is, cui distribuuntur, ut ita reliqui ab injuria serventur indemnes. Quando ergo habetur æqualitas in partibus, ita ut participent ex bonis communibus, secundum quod illis debetur, tunc habetur formale, & intentum distributivæ, resipientis quidem bonum commune sub formalitate participabilis à partibus, secundum quod illi debentur, quæ resipientia nulli alteri præter distributivam convenit.

Breviter. Formale Distributivæ est Æqualitas ad jus partium in bona communia, repertivæ ad dignitatem uniuscujusque dividenda. Vell est æqualitas participandi bona communia.

PROBATUR hæc Explicatio. Quia convenerit omni soli, semper, proceditque per prima in hoc genere. Idem probat auctoritas Aristoteles. Eth. c. 2. explicans distributivam per divisionem communium in privatos. Verba illius sunt: *Iustitia particularis jurisq. ejus, quod ad ipsam attinet, una species est que in distributionibus, aut honoris, aut pecuniarum, aut ceterarum rerum consistit, que dividit in eos possunt qui ejusdem civitatis participes sunt.*

PROBAT idem auctoritas S. Thomas sup. cit. *Premissio I.*

DICES 1. Non est formalitativa distributivæ æqualitas, secundum proportionem geometram. Ergo, neque æqualitas divisionis bonorum communium secundum dignitatem.

RESPONDERI potest. Resipientiam ad dignitatem apponi nonnisi ad retinendam phrasin Aristotelis, majoremq; claritatem: sufficiet autem dicere, quod formale illius sit æqualitas ad jus partium, in bona communia, licet præsupposita taxa dignitatis quam facit prudenter.

DICES 2. Nomine dignitatis vel venit titulus, secundum quem hic debeat præferri alteri, & ad tales dignitatem respicit etiam commutativa: nam præfert credores non creditoribus, vel nomine dignitatis venit prælatio desumibilis ex honoribus, & sic ante distributivam requireretur distributiva: quia in prima etiam collatione honoris, est actus distributivæ, consequenter respicere deberet dignitatem non primo conferre, ex quo sequeretur vel processus in infinitum in attendingo ad dignitates ante dignitates, vel sequeretur nunquam posse esse actum primum distributivæ.

RESPONDETUR. Nomine dignitatis, intelligitur hic æstimabilitas moralis personæ, attollens candem, ut ejus potior ratio in distributibibus habeatur.

DICES 3. Ipsummet Aristotelem resipientiana dignitatis ponere pro formalitativo distributivæ.

RESPONDETUR. Non ponit Aristoteles dignitatem pro formalitativo distributivæ, sed pro connexo distributivæ. Certè enim dignitas potest spectari etiam à liberalitate, quam tamen, non constituit in formalis distributivæ. *Hoc præexplicato*

DICENDUM est. *Differre specie distributivam à reliquis iustitiae speciebus.* Est conclusio contra Burid. & Gualand. quibus faveat Val. Oppositum tenet communis sententia, cum Val. Lug. Esparza &c.

PROBATUR 1. Auctoritate Arist. s. Eth. c. 1. Verbis sup. cit. expresse appellat distributivam unam speciem iustitiae; & S. Thomæ hic q. 61. in procem. *Iustitia, inquit, duas species, quarum altera communitationum, altera distributionum moderatrix est.*

PROBATUR 2. ex Val. Illæ virtutes differunt specie, quarum actus, ex ratione formalis sui obiecti, habet diversam laudem & difficultatem. Talis est actus distributivæ: alia est enim laus bene distribuere, alia justè vendere, habetque difficultatem specialem: quia distributiva dat commune, quod in propriis usus, ut convertat distribuens, proclive est, proclive est item affectu moveri in distribuendo.

PROBATUR 3. Illa iustitia differt specie à reliquis, quæ diversum habet formale à reliquis; cum formale diversificet specie. Sed distributiva habet diversum formale: quia cujus formale est tale, ut compositionem terminorum differentialium habeat talem, quæ sit diversa à compositione terminorum differentialium, quæ reperitur in aliis speciebus iustitiae, illius formale est

Disputatio IV.

111

le & distinctum à reliquis ; cum formale stet compositione terminorum differentialium. Sed distributiva habet compositionem terminorum differentialium distinctam ab aliis justitiis, quia compositione terminorum differentialium distributiva, est æqualitas ad jus partium in bona communia ; quam compositionem nulla alia justitia dicit, quæ enim illa ? Et certè commutativa non versatur circa æqualitatem in bonis communibus, sed circa æqualitatem in bonis privatis : alias nullæ fierent tñ novo acquisitiones juris, si omnia etiam ante commutationem, communia sunt. Rursus legalis justitia, licet recipiat æqualitatem ad bonum commune, non tamen habet eandem compositionem terminorum differentialium : quia in legali attenditur ad æqualitatem, ad jus communitatis, in distributiva ad æqualitatem, cum jure partium : per legalem expletur fortuna communitatis, per distributivam, fortuna privatorum bonis publicis, non est ergo utrobius eadem compositione terminorum differentialium.

DIXI. Non esse eandem compositionem terminorum differentialium, non autem non esse eosdem terminos differentiales : quia & in legali & in distributiva reperitur, Ly æqualitas, Ly privatus, Ly bonum commune, sed non est eadem compositio, quod sufficit ad differentiam specificam. Ad eum modum, quo Patri esse filium ; & filio esse Patrem, sunt utrobiq; iidem termini, & tamen alia est species constitutiva in ratione causæ, quā talis, alia constitutiva in ratione effectus, quā talis, quæ comparatio cause & effectus, est inter patrem & filium.

OBJICITUR 1. Vindicativa non differt à commutativa & distributiva, cùm judex in pœnis, procedat secundum rationem vel commutativam vel distributivam. Ergo, nec different species Commutativa & Distributiva.

RESPONDETUR. Etiam vindicativam, secundum quod est volitio boni publici, refulantis ex malorum punitione, differre specie à reliquo, licet vindicativa ordinari non numeretur inter species justitiae : quia, ut ait Valentia, vindicativa sic sumpta, non est justitia, sed virtus annexa justitiae : non enim secundum suam propriam rationem constituit æqualitatem proprie dictam. Sed de hoc infra.

OBJICITUR 2. Tam distributiva quām commutativa, reddit unicuiq; quod suum est. Ergo, non differunt species.

RESPONDETUR. Per rationem, quia hoc suum est, non differre justitias ; quæ hæc est ratio generica ; differunt tamen ratione motivi reddendi, & ratione modi ipsius suum est.

INSTABIS 1. Etiam hoc motivum non est sufficienter diversificativum : quia diversitas defumibilis ex pluralitate, vel paucitate personarum, non potest sufficienter diversificare virtutes ; alias species distincta esset commutativa,

quæ reddit debitum decem personis, ab ea, quæ reddit debitum uni.

RESPONDETUR. Paucitatem, vel pluralitatem merè numeralem, non diversificare justitias, cum ipsa paucitas, vel pluralitas merè numeralis, non adferat ullam diversitatem : quam enim illam ? videturq; numerus ad hoc se materialiter habere, ut colligere est ex proportione ad alia, quæ & quidem evidenter, non nisi materialiter se habent. Cæterum pluralitas vel paucitas non merè numeralis, potest diversificare virtutes, sicut etiam diversificantur specie arithmeticæ, & geometria attendente geometrica non meram pluralitatem numeralem, sed ut haber rationem proportionis plurium ; ita diversificabitur distributiva, quia non attachit ad meram pluralitatem, numeralē, sed ad æqualitatem in bonis communibus, quā talibus, hoc formaliter restringendo illam pluralitatem numeralē.

INSTABIS 2. Ipsa illa ratio æqualitatis in bonis communibus materialiter adhuc se habet ad distributivam : quia ita se habet ac ea, ad quā in justitia commutativa attenditur æqualitas, cum persona v.g. spirituali vel seculari, cum persona publica vel privata.

RESPONDETUR. Rationem publicæ vel privatæ personæ habere se non nisi per modum subjecti, cui redditur debitum, quæ ratio subjecti materialiter se habet : restringitur enim ulterior per æqualitatem intentam à justitia. Jam autem æqualitas bonorum communium, à nulla alia æqualitate restringitur in justitia.

INSTABIS 3. Etiam posito, quod æqualitas in bonis communibus, à nulla alia virtute restringatur, nihilominus non constituit in specie distincta distributivam : benè enim revocari potest ad legalem, vel liberalitatem.

RESPONDETUR. Quod non possit revocari ad legalem dictum supra ; quod non possit revocari ad liberalitatem, ratio est : quia liberalitas non est ex debito, ex debito autem procedit distributiva.

OBJICIT 3. Datur manifesta, & notabilis convenientia commutativa & distributiva. Ergo, inter se non distinguuntur specie. Nam diversitas specifica, stat in notabili diversitate. Prima convenientia est, attendere ad dignitates, ad quas etiam commutativa attendit, ut cum minus laborantibus, minus solvit. Secunda convenientia est, attendere ad datum & acceptum : quia privatus per hoc intelligitur merei honorem, quia facit aliquid propter illum, à quo meretur. Tertia convenientia est in attentione ad æqualitatem in bonis communibus : Nam hoc & distributiva & commutativa convenient ; ex jure enim v. g. Polonico omnes filii æqualiter succedunt, stanteque partitione bonorum in partes æquales facienda à majori natu, elecio tantum est penes minorem natu, que

*K 2 divi-

R. P.
THE MLOD
13.0.1.3.e.14.
D. VI
6

divisio spectat ad commutativam, attenditque tunc commutativa ad æqualitatem in bonis communibus. Ergo, apparet, has virtutes non esse distinctas specie.

R E S P O N D E T U R. Quod attinet ad primam convenientiam, illa quidem datur, sed cum distinctione: quia commutativa non nisi interdum attendit ad dignitatem, semper distributiva. Quod attinet ad secundam convenientiam, attendit etiā distributiva ad datum & acceptum, sed hoc ipsum ordinat ad æqualitatem in bonis communibus, quod non convenit commutativa. Quod attinet ad tertiam convenientiam, interdum quidem commutativa attendit etiam ad æqualitatem in bonis communibus materialiter, hoc est, quæ non uni debentur, sed non ad æqualitatem in bonis communibus formaliter: quia bona communia formaliter, sunt bona communia à communitate, vel in humanis à persona communis gerente, sunt, inquam, bona contributa uni, sunt idem bona communia; ita, ut ipsa illorum divisione & distributione, non solvatur communitas, sed perficiatur. Jam autem solvitur communitas, aucta divisione hæreditatis.

Deniq; non sunt illa bona communia formaliter: quia posita divisione hæreditatis, non habetur jus jam in bona illa, posita autem distributione, retinet jus ad rem Res publica, dato jure, in re, privato.

Ex eo autem quod justitia non respiciat jus simpliciter, sed tale secundum quid; item quod post distributivam maneat adhuc ad illam rem jus communis, si res non sit usu consumptibilis &c. solum probatur, non esse distributivam rigorosè justitiam, cum nec accipiat suum rigorosè, ut potè commune.

DIFFICULTAS III.

Infertur Quædam ex dictis.

I N F E R T U R 1. Quid sit sentiendum de illa Quæstione, quam movet cit. Valentia. An scil. distributiva attendat ad rectam habitudinem ipsius communis erga suas partes? An ad rectam habitudinem seu æqualitatem partium communis inter se? hocque posterius afferit Valentia, sed prius illud verum videtur.

R A T I O. Quia, concedo quidem ad hanc etiam posteriorem habitudinem æqualitatemque, attendi a distributiva, sed nego attendi primo. Unde comparando utramq; illam formalitatem, hæc erit formale distributiva, ad quam primo attenditur; sicut prius rationale & non risibile restringit animal, ipsaque risibilitas est quid consequens, ex quo deducitur rationale esse formale hominis; ita quia primo attenditur ad rectam habitudinem communis erga suas partes, illa potius erit formale.

Quod autem primo ad id attendat distributiva, vel exinde colligitur: quia illa recta habitudo communis erga suas partes, non aliud in re est, quam ipsa datio, quæ datio, prior est acceptatione, & tamen ipsa recta habitudo partium inter se, est in re, ipsamet acceptio tanti. Unde id etiam voluit S. Thomas, qui per ordinem & conjugationem communis ad partes, vestigat & explicat distributivam.

D I C E S cum Valentia. Actus distributivæ, cum sit actus justitiae propriè dictæ, debet respicere æqualitatem propriè dictam, quæ non stat in recta habitudine communis ad suas partes, neque enim datur æqualitas, propriè dicta, totius ad partem. Stare ergo debebit in recta partium habitudine inter se.

R E S P O N D E T U R. Cum Valentia; nomine propriè dictæ justitiae intelligat rigorosam; negandum erit, distributivam esse propriè dictam justitiam.

I N S T A T ex 5. Eth. c. 5.

R E S P O N D E T U R. Illoloco solum hoc dicere Philosophum, quod attendat distributiva, ad æqualitatem partium. Sed non discritus de hoc: an primo ad id attendat? in quo tamen est difficultas. Quanquam si attendatur preesse ad verba, videtur Aristoteles nostram sententiam docere: nam loquens de distributionibus, dicit, *unde fit, ut alterius minus exhibeatur.* Ubi meminit exhibitionis; quæ idem est certè, quod datio, adeoque, habet rationem prioris præ acceptione, quæ acceptione, & quantur partes inter se.

I N F E R T U R 2. ex dictis. In quoniam deficit distributiva à rigore justitiae: deficit enim in eo, quod est reddere unicuique quod suum est; bona autem, ad quæ distributarius habet jus, sunt bona communia; adeoque; non nisi quod amodo sua; deficit ruris in alteritate: quia justitia distributiva in humanis, est in communitate, vel personam gerente communis, dum est æquus Partibus; non datur autem alteritas rigorosa inter communitatem & partes; deficit deniq; saltem in aliquibus attributis: quia quod cum rigore justitiali, adeoque; cum pleno dominio possidetur, excludit temporaneum dominium aliius; jam autem ad dignitates collatas, semper manet jus ad rem, in communitate.

I N F E R T U R 3. Etiam distributionem onerum æquium spectare ad distributivam. Est illatum Lugonis. *Pensanda sunt ejus Rationes.*

1. R A T I O ex Lugo est. Quia ille actus respicit per se & formaliter æqualitatem proportionum, quod est proprium distributivæ.

R E S P O N S U M supra, hanc respicientiam, non soli distributivæ convenire. Deinde hinc de ipso materiali queritur, quod sunt onera, an illa sint materia distributivæ? ad eum modum, quo in gloria potest haberi æqualitas arithmeticæ, & tamen illa, non est materia venditionum.

2. R A-

Disputatio IV.

113

2. RATIO vindicativa duos actus principales habet, punire reum, & non punire innocentem. Ergo, & distributiva habebit duos actus principales, distributionem bonorum, & non gravationem oneribus.

RESPONDETUR. Punitioni nocentis, immedieate respondet non punitio innocentis: quia punitionem primo intendit vindicativa, quā talis; distributio autem honorum, & distributio onerum, non sunt, tanquam opposita, in primo intento. Primum enim intentum distributiva, est distributio, cui contraria non est alia distributio, sed non distributio. Consequenter, cūm contrariorum eadem sit disciplina, punitio & non punitio; distributio item & non distributio, ad eundem habitum revocantur, non autem distributio onerum: quia hæc non videtur esse quid contrarium primo intento, nempe distributioni: consequenter majore titulo non punitio innocentis spectabit ad vindicativam.

3. RATIO ejusdem est. Quia virtutes morales in objecto suo attendunt ad medium. Ergo, & distributiva in distribuendis oneribus communibus, intendere debet honestatem, qua est in medio.

RESPONDETUR. Ipsum subjectum illationis probari debuisse; nempe quod distributio onerum, spectaret ad distributivam, quæ etiam sine distributione onerum, staret in medio, scilicet, non dando plus vel minus, quam mereat aliquid comparatè ad alios. Hinc

RATIO illata sit. Tum quia. S. Thomas hic q.61.a.3. in corpore ait. Est etiam quadam, inquit, distributio laboriorum operum. Ly autem quadam non idem ponitur, quasi ad aliam virtutem id spectet, sed est particula divisiva, significans, quod, quidem distributiva actus, sit distributio onerum, quod vel exinde colligitur: quia illic universaliter discurret de materia humani virtutis, in divisionibus autem universalibus. Ly quidam vel quadam est particula divisiva. Unde etiam ibidem sub Ly quadam ponit S. Thomas compensationem collativam bonorum, quæ indubie spectat ad distributivam. Tum quia; attendendo virtus aliqua ad principale, attendit etiam ad ea, quæ revocantur ad principale; jam autem est quoddam bonum, ratioq; participandi communia non participare plus de oneribus civitatis. Tum quia. Hoc, quod non est gravari plus oneribus communitatis, spectat ad aliquam virtutem: potest enim honesta actione, adeoque virtuosa fieri: Ergo, vel revocari debet ad aliquam virtutem; vel constituere specialiē virtutem. Ergo, cūm illam non constituit, vel hoc ipso quia revocari potest ad distributivam revocabitur. Quod autem revocari possit ad distributivam. Ratio est, quia distributiva attendit ad habitudinem communitatis erga partes. Ergo, cum hæc habitudine sit etiam circa onera, attendet ad hoc

distributiva. Licet secundum aliquam formalitatem, id revocari possit, etiam ad commutativam, in quantum privatus jus habet, ne gravetur præ aliis.

QUÆSTIO III.

De iustitia vindicativa.

PREMITTETUR imprimis doctrina S. Thomæ de vindicatione, & alia huic concernentia; postea accedetur ad ea, quæ scholasticè discuti solent.

DIFFICULTAS I.

PREMITTUNTUR QUEADAM.

PREMITTO I. Vindictam esse licitam, cuius rationem dat S. Thomas hic. q.108. a.1. Vindicatio fit per aliquid penale malum, inflictum peccanti: est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus: si enim intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum, quia delectari malo alterius spectat ad odium, quod charitati repugnat, que omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusat se malum intendat illius, qui sibi injustè intulit malum: sicut non excusat se aliquis per hoc, quia odit se odientem &c. Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquid bonum, ad quod pervenitur per paenam peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus & quietem aliorum, & ad justitiae conservationem & Dei honorem, potest esse vindictio licita, alii debitibus circumstantiis servatis.

Circa hanc Rationem S. Thomæ inquiri posset, quare aliquis virtuosè non possit delinquenti optare malum, qua malum est? diciq; posset, quod non pertineat ad odium illicitum, eò quod non omne odium charitati repugnet, repugnantia prohibitionis, licet repugnet repugnantia prædicatorum oppositorum ad invicem. Quod autem non omne odium repugnet charitati seu gratiæ, repugnantia prohibitionis, exinde deduci posset: quia odium boni alicuius hominis repugnat charitati; sed non odium mali; idq; ideo, quia charitas non vult improportionari objecto actuam, hinc si objectum sit malum, non vult illud amari, sed odio haberi. Retinenda tamen ratio S. Thomæ, quia vindicta est actio honesta, debet ergo honestum formale habere, honestum autem formale non est optare malo malum; quia malum est; cūm hoc ipsum formale, sit commune, etiam cæteroqui prohibito odio. Deinde, quia attendendo ad rationem dubitandi, & sifteretur in malo, quæ malum est, ut supponitur, & non sifteretur: quia vellet illud malum non utcunque, sed quia amor malo non debetur, adeoque non sistendo præcisè in ratione mali.

* K 3

PRE-

R. P.
H. M. L. O. D.
al. o. M. S. K. I.
T. O. B. e. 4.
D. V. I.
G.

P R Ä M I T T O 2. *Vindicationem esse specialem virtutem.* Ratio ex S. Thoma est, ibidem. Article 2. *Aptitudo ad virtutem inest nobis à natura, licet complementum virtutis sit per asuetudinem, vel per aliquam aliam causam.* Vnde patet, quod virtutes perficiant nos ad prosequendum debito modo, inclinationes naturales, que pertinent ad ius naturale. Et ideo ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam, ordinatur aliqua virtus specialis. Est autem quædam specialis inclinatio naturæ ad removendam nocentium. Vnde & animalibus datur vis irascibilis, separatim à concupisibili. Repellit autem homo nocentium per hoc, quod se defendit ab injuriis, hoc autem pertinet ad vindicationem.

Hoc principium, quod quando est specialis inclinatio naturalis sit etiam specialis virtus, alibi probatur. Nunc etiam hoc addi potest, quod natura non multiplicet entia sine necessitate, multiplicaret autem, si data inclinatione naturali ad defendendum fese à nocumento, non datur virtus specialis defensiva: esset enim illa inclinatio perfectibilis, & non haberet perfectivum sui, virtutem; conseqüenter otiosa & sine necessitate esset illa perfectibilitas.

PRAEMITTO 3. *Vindicationem posse nullo modo spectare ad justitiam: quia possumus sola philantropia moveri ad appetitum vindictæ.*

PRÆMITT 4. *Possit etiam vindictam revocari ad iustitiam, licet non sit rigorosè iustitia. Quod possit revocari ad iustitiam.*

RATIO est. Tum quia. S. Thomas cit. a. n.
ponit vindicativam partem justitiae. Tum quia.
potest dari jus ad ponendam vindictam in gu-
bernante, potest item poni ab eodem æqualitas
pœnæ cum delicto. Ergo, vel ex his duobus,
poterit revocari vindicta, ad justitiam. Tum
quia. Cum Aristotele Ethici appellant judicem
jus, seu justitiam animatam. Ergo, & actus il-
lius, quæ tales, erunt vitalis justitia, inter quos
actus, primum locum occupat vindicatio.

Quod autem vindicatio non sit rigorosa iustitia.

RATIO est. Tum quia. Non respondet ei debitum justitiale, hinc non facit in justitiam iudicis reus, si se subducatur iudicii. Tum quia. Ubi est rigorosa justitia, tunc respectu illius, cui illa præstatur, habetur jus, & in præstante debitum. Jam autem non habetur jus in reo ad pœnam, quæ illi à judice exhibetur. Tum quia. Obligatio gravans judicem, est per ordinem ad communitatem, à qua ille non habet perfectam alteritatem, consequenter nec intercedet illuc, iustitia rigorosa.

PRAEMITTO. Secundum aliquas coniacerabilitates, vindicativam revocari, & ad commutativam & ad distributivam. Ad commutativam quidem; quia Princeps aut judex ex contractu cum Republ. tenetur punire delicta, & secun-

dum hanc rationem contractus, revocabitur ad commutativam, & ad hoc respexit S. Thomas hic q. 108. a. 2. ad 1. pertinet autem etiam ad distributivam: quia pena est per modum oneris, onera autem distributiva etiam claudit; habetque se ita vindicativa in irrogatione penae, ut distributiva in collatione honoris.

Cum hoc tamen stat, ut habeat adhuc proprium suum formale vindicativa: nempe honestatem & qualitatis ponenda poena ad delicti conditionem, ex qua postea & qualitate, pullulat bonum commune pacis, privatorum &c.

DICES I. ex Esparza q. 21. Vindicativa habet hoc ex genere suo, ut non tam ordinetur in utilitatem ejus, circa quem exercetur, quam in utilitatē aliorum: nam reus ratione delicti comparatur jumentis insipientibus. Cumq; homo ob dignitatem naturæ rationalis, hoc habeat proprium, ut sit & ametur ratione sui, utque ordinentur ad ipsum & in ejus utilitatem, quæ circa ipsum aguntur, ratione peccati, ordinatur in bonum aliorum, ut bruta. Est autem de ratione particularis iustitia strictè talis, maximè vero commutativæ, ut jus suum unicuiq; tribuat, suum utique sicutate proprietatis. Et rursus de ratione hujus juris est, ut inserviat propriè utilitati subdit, cùm tamen infligatur pœna delinquenti, licet prævideatur non esse profutura tunc, cum puræ pœna est.

R E S P O N D E T U R. Quod hæc ratio solum probet, vindicativam non esse rigorosè justitiam: quia non exercetur in utilitatem ejus, cui impenditur; cuius oppositum fit in aliis justitiis. Deinde parum refert, quod id fiat in aliis justitiis, rectè transfertur ad aliam, quando illud contingere oritur, ex generico prædicto justitia; jam autem non est hic conceptus genericus justitiae, ut exhibeat in utilitatem ejus, circa quem exercetur: cum ipsa respicientia utilitatis, præcisè non spectet ad justitiam: unde multi hanc respicientiam, referunt in vim gubernativam.

DICES 2, cum codem. Etiam relatè ad Rem-
publ. non erit punitio actus commutativæ; quia
dux militiæ etiamsi paciscatur cum Republ. de
eius incolumentate, pugnat nihilominus per vir-
tutem fortitudinis, & non per virtutem com-
mutativæ. Ergo, & judex non faciet id per
commutativam, sed per vindicativam.

R E S P O N D E T U R. Etiam dux militiae, licet pugnet elicitive per virtutem fortitudinis, nihilominus illos actus imperat commutativa, consequenter, etiam commutativa intercedet tunc actus. Ergo, & judex per vindicativam puniendo, adhuc sub alia formalitate, faciet actum commutativa comparatus ad Rempubl. Per hoc tamen non negatur, vindicativam habere etiam, ut dictum, speciale, suum motivum.

Disputatio IV.

115

DICES 3. cum eodem. Punitio habet honestam suam peculiarem independentem im- mediatè & formaliter ab omni jure proprieta- ris, obligatioque judicis, quā adstringitur Rei- publica, solum efficit, ut per virtutem commu- tativę imperet actum punitionis.

RESPONDETUR. Concedo totum. Sed inde non sequitur sub aliqua formalitate, non posse illam revocari ad commutativam.

DIFFICULTAS II.

De Regula vindicandi in Indice.

Ensis tituli est: An Judex beat judicare Secundum allegata & probata, idque, etiam si oppositum, norit verum. Est ergo in hoc diffi- cultas, questionem facti applicant allegationes & probationes, notitia privata judicis, ea que certa, & evidens applicat aliter factum, quæri- tur ergo in formando judicio seu conclusione, debetne accommodare se à allegatis, ut dicat: Ergo est puniendus, an se debet accommoda- re sua notitia, ut inferat conclusionem. Ergo, non est puniendus.

Divisi sunt in hoc puncto Anteores. Aliqui dicunt, quod debeat Judex se à propriam notitiā. Ita ex Juristis Abbas, Martinus, Panormit. Oldendorpius apud Covarruvias. Ex Theologis Lyran. Ang. Sa. & alii. Oppositum S. Thomas hic q. 67. a. 2. 64. a. 6. ad 3. Cajet. Valent. Sylvester & alii. Medias Sententias res- fert plures Dicast. d. 4. n. 8. Lugo autem d. 37. n. 15. cum sententiam hanc S. Thomæ valde es- se probabilem docuisse, propter Autoritatem S. Thomas, tandem media via it; quod Judex se- condum allegata & probata, contra privatam certam in oppositum sententiam, non possit de- cernere in causis criminalibus, vel mutilationi- bus; possit in minoribus, quod etiam docuit Leff. Navarrus, Konink.

DICENDUM est. Probabiliter esse spectata ra- tione, quod Judex non possit damnare secundum al- legata & probata, quem alia novit esse certa notitia innocentem.

PROBatur 1. Si Judex posset in tali casu damnare innocentem, falsificaretur universalis regula morum, quia hoc ipso nec foret universa- lis, nec regula, si falsificaretur: quia regula tales, vel sunt principia moralia, lumine naturæ nota, vel proximè deducta: lumen autem naturale, & tales deductiones, supple certæ & evidentes, non possunt fallere, sequela probatur. Regula motum universalis est ad malitiam contrahen- dam, sufficit etiam indirectum voluntarium. Item non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Item concurrente duplice formalitate mala & bona, actio, secundum illas formalitates proce- dens non potest esse nisi mala, adeoque sequens debiliorē partem. Hæ autem regula falsifi-

cantur, si liceret innocentem dicto casu occide- re: quia directum voluntarium, haberet satisfa- ciendi allegatis & probatis, indirectum autem voluntarium, occisionem innocentis, quem no- nit esse innocentem, advertitque, & tamen vellet damnari, idque ut dicunt oppositi, licet. Secunda regula falsificaretur: quia fieret ma- lum occidendo innocentem, ut eveniat bonum, obseruandi leges & allegata. Falsificaretur & tertia Regula: quia si quis æger appetat comedere carnes die veneris titulo sanitatis, vel retinendæ vitæ, ut si extrellum famescat, ex, alia parte putet hoc, esse illicitum comedat tamen, verè talis peccabit mortaliter: quia inclinat voluntatem illo partiali motivo malo, quod non deberet sequi. In præsenti autem idem etiam contingeret; nam Judex uteretur motivo bono, quod est servare leges, & simul malo, vo- lendo innocentem occidere. Si ergo id facheret justè, tunc posset actio fieri justa, & tamen esset ejus unum motivum partiale honestum, & aliud partiale motivum dishonestum, quod fieri non potest, ex dictis circa Majorem assumptam.

PROBatur 2. Argumento communi. Non potest licet cognoscere quis eam, quam certò scit non esse suam, quamvis à judice etiam Ecclesiastico, idque sub pena etiam excommunicationis, adjudicetur alicui, ut illa utatur tanquam sua. Ergo, nec potest licet occidere innocentem, quem allegata & probata, docent es- se innocentem.

RESPONDET 1. Sanch. Sicut licitum est co- gnoscere eam, quæ invincibiliter putatur sua, ita & licet erit occidere eum, qui invincibiliter à judice, tanquam publica persona, putatur esse nocens.

CONTRA. Quia nihil respondetur ad par- tatem. Concedo esse licitum cognoscere eam, quæ putatur sua: nam in hoc nulla regula mora- lis falsificatur; imò agitur secundum illas; quæ tamen scitur certò, non esse sua, non potest co- gnosci, quamvis adjudicetur à judice. Ergo, etiam, quamvis licitum sit occidere innocentem, qui invincibiliter putetur nocens, si tamen sciat illum innocentem esse, quamvis in op- positum dentur allegata & probata, non poterit occidi.

RESPONDET 2. Turrianus. Nullum est jus, quod postulet copulam cum non sua: in præsen- ti autem casu, est jus, scilicet bonum publicum.

CONTRA. Nullum est jus in copulam cum non sua. Ergo, nec ullum jus, in vitam innocentis. Et quando adjudicatur non sua, idque ad usum sub pena excommunicationis, si est non obediendum, cum tamen sit publicum bonum obediēre imperanti decreto. Ergo, nec in præ- senti, bono publico obediē debet.

RESPONDET 3. Idem. Probabilem esse sententiam, quod Judex possit secundum alle- gata & probata decernere, non est autem pro- babile,

* K 4

R. P.
H. MLOD
a. 10. 3. c. 14.
D. VI
G

babile, quod possit secundum allegata & probata ut in non sua.

C O N T R A . Quia hic non queritur de auctoritate, nec taxatur opposita sententia, redibitque paritas: Non est probabile quod licet causus antecedentis. Ergo, probabilius saltem est, non licere casum consequentis.

R E S P O N D E B I S 4. Non est potestas ulla Reipubl. ad dandum jus, in non suam: quia hoc jus est ex mutua traditione, quae tunc non habetur. Jam autem est jus Reipubl. in vitam civium, quod jus, judici delegare potest in casu, quo id poscant allegata.

C O N T R A . Non est potestas ulla Reipubl. ad dandum jus in non suam: quia ratio sua, requirit traditionem, quae non habetur, quamvis dentur allegata & probata traditionis. Ergo, etiam non est potestas ulla Reipubl. ad dandum jus in innocentem: quia ratio pœnae requirit innocentem, quae nocentia non habetur, quamvis dentur allegata & probata nocentia.

R E S P O N D E B I S 5. Negando Antecedens, quod negarunt apud Sanch. L. 2. de Matrim. d. 39. Mgr. Hugo, Medina, Sepulbeda, Hostien. Perez.

C O N T R A . Tum quia. Ut urget Sanch. oppositum est decretum Cap. *Inquisitioni de sententia excommunicatis*. Tum quia. Verè tunc esset fornicatio, & tamen liceret, quod est absurdum. Tum quia. Censuratur hæc sententia, à Sanch. quidem, quod sit falsissima & in fide periculosa: erroneam appellat Corduba. falsam S. Thom. & Durandus.

P R O B A T U R 3. Tum quia. Si innocentem licitum esset ob allegata & probata adversa, occidere, licitum id esset: quia ita permittit judici Respublica, sed non permittit: quia hoc tantum potest permittere, quod ipsa potest facere: nomine enim illius facit judex, sed si sciret Respubl. illum innocentem, non posset illum occidere secundum Leges, quia Respubl. nullas leges, vel tulit vel ferre potest in eum, quem scit esse innocentem: quia id esset contra leges naturæ, de servando innocentio. Tum quia, intentio Legislatorum est, ut servetur innocens, damnetur nocens, cui intentioni in praesenti non satisficeret. Tum quia. Ideo adhibenda sunt allegata & probata, ut formetur sententia justæ, sed in praesenti non potest formari sententia justæ: quod ipsum probatur, quando non potest ferri sententia prudenter, non potest ferri justæ: quia prudentia, est universalis directrix, nec operatur quisque honestè seu justè, nisi operando secundum regulas agendi, hæc autem regula est prudentia, sed dicto casu non potest ferri sententia illa prudenter: quia nemo etiam probabiliter persuadere sibi potest rem fuisse, idque prædicere, si certo & evidenter illi constet non fuisse.

Solvuntur Argumenta in oppositum.

OBJICITUR 1. Ab Auctoritate prima sit Deut. 17. Secunda ex c. Pastor. Paraphr. Quia verò Tertia Ambrosii, serm. 20. in Psal. 118. Quarta cit. S. Thomæ. Quinta Juramenti Polonorum judicum, formula quam ita haber Herburtus, verbo Juramentum. Ego N. Iuro, quia justæ secundum Deum, jus scriptum, equitatem & partium controversias judicabo &c. &c. sic me Deus adjuvet; & hoc Sancta Crux.

R E S P O N D E T U R . Prima in Auctoritatem, negativum facere sensum: *nemo damnatur, si non adsint duo ad minimum testes*. Non facere autem sensum positivum: *damnatur semper, si adsint*. Secunda, sicut & S. Thomæ quarta, facit probabilem oppositam sententiam ad quod etiam se reflexit phrasis Conclusionis. S. Thomæ, Auctoritas ad maximum, sic explicari posset, quod velit, si noscat veritatem, h. e. objectum quocunq; modo judex, possit sequi allegata, nihil enim agit de veritate, quæ noscatur certò & evidenter: Si enim non noscatur oppositum certò & evidenter adhuc non dejiciuntur allegata & probata à ratione probabilitum, dejiciuntur autem, si certò & evidenter sciatur oppositum. Ambr. nihil agit de occisione innocentis, qui scitur certò innocens, sed solum vult, ne judex secundum affectum & proprium placitum judicet, adhucque secundum merita causa judicet, si illi de innocentia constet. Idemq; solum, vult forma Juramenti Polonorum Judicium; & indubie censabitur judicare secundum Deum, si pro innocentio judicet, quia hoc ipse Deus per lumen intellectus dicit, ut cripiatur innocens de manu fortium, fortitudine allegatorum & probatorum. Hinc in verbis juramenti, prius ponitur æquitas, postea allegata, quod etiam ipsa debeant esse, secundum æquitatem, nemini tamen formula juramenti allegatorum ut, sicut dixi, non judicetur merè ad placitum.

O B J I C I T 2. Valen. Judex non potest censeri rectè facere aliquid ex suo officio, nisi etiam communitas censeri possit facere & approbare: hoc enim est judicem esse publicam personam, cum sit quasi ipsa communitas. Sed si judex postposita testificatione publica, ferat aliquam sententiam, non potest tunc censeri communitas id facere, aut approbare: nam scientia privata judicis, non potest censeri scientia certa communis, cum sit scientia tantum unius partis, communis, quæ idcirco facilius potest falli, quam plures.

R E S P O N D E T U R . Suballata Majori, posse pro nobis subsumi minorem. Sed communis non vult occidi, quem scit esse innocentem. Ergo. Directè dici potest, quod scientia privata judicis, posset censeri moraliter, vel æquivalenter scientia communis, quia ipse Judex est moraliter ratione officii communis; licet non possit

Disputatio IV.

117

possit illa notitia censeri formaliter notitia communitatis. Falsumque est posse falli facilius evidenter noscentem, quam plures, quorum aliquid & probatio, deicitur ab opposita evidentia, in statum suspicionis & falsitatem. Dicunt alii, scientiam illam judicis habere se per modum testimonii, cui quia evidenti magis deferendum quam pluribus inevidentibus: nam etiam Regio testimonio plus defertur, quam simplicium v.g. duorum militum. Addo. Quod vices communitatis non debet subire judex in sciendo probationem facti, sed debet subire in judicando, quod ipsum exequetur, quantumvis pro innocentibus sentientie.

OBJICIT 3. Dicast. Homo in judicando non debet ut ea scientia, cuius usus, juxta mores hominum, aperiatur via, infinitus fraudibus, talis autem est privata scientia.

RESPONDETUR. Privatam notitiam certam, & evidentem, non aperire viam fraudibus; sicut nec aperuit Daniel contra duorum allegata senum disceptanti. Nec obest, quod praetendit possit illa scientia: nam exinde non sequitur adhiberi eam non debere: quia possunt adhiberi allegationes falsae, imo & juramenta, & tamen adhibentur. Sufficit ergo quod ex natura rei, illud, quod adhibetur, veritatem, manifester, quidquid sit, quod illa aliquis abutatur.

OBJICITUR 4. à Pari.

PRIMA PARITAS est. Licitum est explodere in turrim, quamvis sciatur ibi non hostes tantum, sed & cives occidendos. Ergo, & in praesenti, licum erit innocentem damnari.

RESPONDET Lugo. Ibi non intendi directe occisionem innocentis, sed arcis hostilis expugnationem. Hac Responso

NON SATISFACIT. Quia dicentes oppositi, tunc judicem indirecte veile occisionem innocentis, directe autem observantiam legis, & allegatorum, quae tenere debent. Hinc DISPARITAS sit, quia quo casu manet ius Reip. ut titulo boni communis exigat vitam, quamvis sciatur illi esse cives & servandi, & quando manet obligatio in innocentibus ad prodigandam pro sua parte vitam, non appetet unde jam evadat, illicita illa actio. Jam autem non manet in Reip. sciente, quod hic sit innocens, ius occidendi eundem. Deinde, in casu Antecedentis non est legitima ratio, nostime esse civem & servandum, noli explodere: quia posset Resp. replicare: quia estis cives, debetis haec ferre. Est autem legitima ratio: Nostri Respub. me esse innocentem, non me punias: quia evacuatuum debiti pena, est innocentia, non est autem evacuatua, in casu, ut dixi, Antecedentis. Judex autem debet id facere, quod faceret, si sciret communitas.

SECUNDA PARITAS est. Qui novit scientia privata, quod delatus, sit nocens, si tamen allegata probent illum esse innocentem, non potest

illum damnare. Ergo, è converso, nec absolvare.

RESPONDETUR. Aliquos negare Antecedens. Sed disparitas sit, quia de non damnando innocentem, est præceptum negativum, adeoque debet semper impleri. Hoc autem quod est damnando innocentem, est præceptum affirmativum, quod non semper obligat, si cetera non sint paria. In praesenti autem non sunt cetera paria: quia lex clementiae, fundata in natura, dicit: bonum esse, etiam innocentis parcere, si fieri commode possit. Commodè autem fieri potest, ut pena publica, non irrogetur pro delicto privato.

TERTIA PARITAS. Judex potest cogere debitorem ad solvendum, quando ipse privatim, novit esse debitorem: quamvis non possit hoc in judicio probari. Ergo, etiam potest cogere ad solvendum pœnam, si noscat privatim innocentem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia in casu Antecedentis non agitur contra innocentem pœnaliter, quod ipsum natura vetat, agitur autem in casu Consequentis.

OBJICITUR 5. Ratio S. Thom. Judex est persona publica. Ergo, debet judicare secundum scientiam publicam.

RESPONDETUR, esse illuc scientiam publicam æquivalenter, non autem formaliter.

INSTABIS. Saltem potest judex sequi opinionem probabilem, probabile autem est, quod dicunt allegata & probata publica.

RESPONDETUR. Contra certam notitiam physicam rei, non potest in oppositum etiam probabilitas haberis: quomodo enim est probabile, quod hoc fecerit; cum norim certò physicè, illum non fecisse.

DIFFICULTAS III.

Notantur quedam.

NOTA 1. In omni judicio, tres convenire ad formandum Syllogismum requisitum, ad sententiam. Primo, venit Respubl. vel Princeps Legislator, formatque Majorem, hoc est, leges & dictamina judicandi. Secundo, venit auctor facti, qui ponit Minorem, acceduntque allegata & probata, quæ non ponunt factum, sed applicant: ad eum modum, quo faciunt motiva credibilitatis, circa credenda. Tertiò accedit judex, qui sententiam formando, ponit Conclusionem.

NOTA 2. Sententia judicis est Conclusionis practica, in ordine ad puniendum, vel liberandum, gravandum vel eximendum: accepto enim quocunque arguento practico, quod in illo est Conclusionis, hoc in judice est sententia. Et si judex syllogisticè procederet, sententia illius Conclusionem constitueret. Quod ipsum in hoc

R P
H MLOD
S. MOSKOWSKI
VOL. B. c. 14.
D. VI
G

in hoc resolvitur: quia Conclusio definitivè est illatio deducta ex præmissis; cùm ergo sententia judicis, sit verè illatio ex præmissis, hoc ipso illa illatio, erit Conclusio, sententiaque judicis.

Porro præmisæ, ex quibus deducitur hæc Conclusio, necessariò sunt duæ. Prima quidem, quæ est una ex primis principiis judicandi: quia vero omne principium est universale, etiam præmissa illa, erit universalis. Unde habitus judicandi, est habitus quasi Conclusionum, habitus autem legum, est habitus intellectus seu principiorum judicandi, altera autem præmissa, semper est singularis: quia est de facto, facta autem, singularia sunt: hinc in sententia judicis deducetur etiam Conclusio singularis: quia hæc debet sequi debiliorem partem. Judexque non convenitur, quâ judex, ad decidenda universalia, sed ad decidendum de particulari. Dixi, quâ judex quâ Consultor, vel Legislator potest in sua sententia formare Majorem, casu, quo sua illatio debeat imposterum habere vim legis, ingredi habitum primorum principiorum judicandi.

NOTO 3. Superiori difficultate quæsumus esse, comparando allegata & probata, quæ ad

Minorem revocantur, cum notitia judicis, quidnam debeat sequi judex? Nunc aliquid dicendum de Majori judiciali, quæ est ex legibus, comparando scilicet legem ab una, ab altera autem parte allegata & probata, debebitne judex legem sequi, an allegata & probata? Ad quod cum distinctione responderi posset, quod si lex sit naturalis, aut scripta, interpretans naturalem, debet judex legem sequi, quia alias operatur dissone ad naturam intellectualem, dictamina ejus non sequendo. Si autem sit lex contraria naturæ: quia ea non est lex, utpote injusta, sequi eam non debet. Casu autem, quo vel nulla sit lex, vel emergat casus cum talibus circumstantiis non prævius, judicabit judex secundum allegata & probata: quia adhuc judicabit secundum legem: primam enim vim legis habet mens Legislatoris, quam allegata rationes ostendunt. Casu autem quo judex sit ipse supremus Princeps vel Legislator, & non extet lex, decernet ut voluerit cum hac limitatione, ut decernat secundum legem naturæ: quia alias hoc non esset decernere prudenter, & secundum potestatem, quam habet: nam hæc illi non datur, ut niti impune possit, contra lumen rationis.

DISPUTATIO V.

De Opposita Justitiæ, Injustitia.

Opposita, ut alibi, sic & in præsenti; ultimum in consideratione locum habent.

QUÆSTIO I.

De Injustitia secundum se.

Percensenda hic primum est ipsa Doctrina Arist. & S. Thomæ.

PONIT I. Arist. lib. 5. Eth. c. 1. talem doctrinam. *Neque enim, inquit, in scientiis, facultatibus & in habitibus idem est modus: Nam facultas, & scientia eadem cùm sit, esse contrariorum videtur, habitus autem contrarius, contrariorum nullo modo esse potest, v. g. ex sanitate contraria minime aguntur, sed salubria tantummodo quippe cum sane quempiam incedere dicamus, cùm ita incedit, ut sanus.* Sensus doctrinæ est. Scientiæ extenduntur etiam ad contraria, unde est illud, quod, contrariorum eadem sit scientia. Sed bonæ animi vel corporis habitudines, seu virtutes non extenduntur ad contraria, sicut sanitas non extenduntur ad ægritudinem, adeoque nec habitus justitiæ extendetur ad injustitiam.

Hæc doctrina Aristotelis in hoc habet difficultatem: quia in hac habitudine ad contraria,

videntur æqualiter se habere scientia, & virtus, seu habitus, ut loquitur Aristoteles: nam sicut scientia non elicit actus erroris, versatur tamen circa errorem, tanquam circa aliquid fugiendum, oppositaque objecti attingit, ad habendum completam notitiam objecti, quod per se respicit: ita etiam virtus versatur circa oppositum vitium per actus fugæ, nec habetur completa ratio virtutis, ex solis actibus prosecutionis, sed & in actibus fugæ. Et sicut quamvis ipse error elicitus, facilitasq; errandi contracta, non complet scientiam, sed illam tollit; ita etiam vitium elicitum, facilasque eliciendi contracta, non complet virtutem, sed longè diversum, & oppositum habitum constituit.

Quod attinet ad hanc rationem dubitandi, dici hoc potest, quod non in hoc comparet, dicta extrema Arist. quasi non convenienter in hoc habitus & scientia, quod ista fugiat errorem, ille injuriam; quod hæc non eliciat errorem, & ille injuriam; in hoc enim similantur sibi; sed quia contraria pertinent ad eandem potentiam, sicut (inquit, S. Thomas in Com. hujus loci) *album & nigrum ad visum, & ad eandem scientiam, sicut sanum*